

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 14: De conditione humana et brevitate huius vite (16)

Philosophus quidam speculabatur cadaver Cesaris in tumulo, qui sic scribit:

Illud intuitus sum in sepulcro,
et vidi eum livido colore ornatum,
putredine circumdatum, alvum eius disruptum,
et vermium catervas per illud discurrentes transiebant per os ascendentes ad cerebrum,
et duo famelici pascebant in foveis oculorum, crines non adhaerebant capiti,
dentes patebant labiis consumptis, et revelatum erat narium fundamentum.
Et dixi: Ubi est nam Cesar corpus preclarum,
magnitudo divitiarum, multitudo deliciarum,
caterva baronum, acies militum, ubi sunt canes venaces,
et equi veloces et aves rapaces, ubi est thalamus depictus, lectus eburneus,
aureatum atrium,
ubi sunt mutatoria vestimentorum diversorum colorum,
ubi cibaria diversorum saporum, ubi est cantus iuvenum et lire, ubi sonitus organi,
ubi citara et timpanus aures tuas demulcentes dulcissima melodia,
ubi est et regia maiestas, inperialis potestas,
te verebantur homines, timebant principes, colebant urbes,

ubi magnificentia et tam grandis reverentia?
Et respondit michi: Hec michi omnia defecerunt quando defecit in me spiritus meus,
et reliquerunt me miserum captivum in hoc sepulcro, circumvolutum putredine et vermibus.

Nam cum essemus apud Ostia Tiberina matre charitatis sociati,
exspectantes temporis tranquillitatem, causa remeandi ad Africam,
et gratia illius cui terra et mare obediunt, compulsi a Pontiano praefecto, viro clarissimo,
qui de Roma ad nos videndum venerat, cum eodem iterum reversi sumus Romam
ad intuendum diligentius magnifica aedificia et opera Paganorum:
et ductus sum cum caeteris ad videndum cadaver Caesaris in sepulcro,
et vidi quod omnino esset livido colore ornatum,
putredine circumdatum, ventrem eius disruptum,
et vermium per illum catervas transeuntes prospexi.
Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur, crines ejus non adhaerebant capiti,
dentes ejus apparebant labiis consumptis, et revelatum erat narium fundamentum.
Et intuens matrem christianissimam, dixi: Ubinam est Caesaris corpus praeclarum,
ubi magnitudo divitiarum, ubi apparatus deliciarum, ubi multitudo dominorum,
ubi caterva baronum, ubi acies militum, ubi canes venatici,
ubi equi veloces, ubi aves cantantes, ubi thalamus pictus, ubi lectus eburneus,
ubi thorus regalis, ubi thronus imperialis,
ubi mutatoria vestimentorum,
ubi capillii solares, ubi facies decora, ubi omnia quae sub coelo sunt?

Te namque verebantur homines, te timebant principes, te colebant urbes, te timebant omnes.
Ubinam, quaeso, sunt haec omnia, a quo recessit tanta jactantia?
Quo ivit tua magnificentia?
Et respondit mater pietate plena: Fili, omnia sibi pariter defecerunt quando defecit spiritus ejus,
et reliquerunt eum captivatum in sepulcro trium brachiorum plenum fetore et putredine.

Augustinus (pseudo) Belgicus, *Sermones ad fratres in eremo commorantes*, 48 (PL 40, col.1330-1331).